

SCRIPTA

Numéro Scripta : 237

Auteur(s) : Dreux, Vexin (comte)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1060-1108]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe Ier confirme de sa souscription la charte par laquelle Dreux, comte de Vexin, avait concédé aux moines de Saint-Pierre de Jumièges le libre travers à Pontoise et à Mantes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° CLXIII, p. 405-406.

Dissertation critique

Datation proposée par PROU, n° CLXIII, p. 405.

Acte déjà recensé sous le numéro 167

Texte établi d'après a

Humane menti proficuum valde decernitur curiose perscrutationis indagine et pure mentis ardore tendenti ad summe felicitatis habitaculum quodammodo aliquod exquirere presidium, dum persistit in mundane volubilitatis turbine, quo tutius interioris hominis divorcio queat progredi ad optatum perpetue beatitudinis gaudium, denique flagrans quid superna dispensatione profuturum sibi parari solatium, quando quidem cernit se labentis seculi involutum illecebris, necessarium sibi esse creditur toto cordis affectu sanctarum precum aliquo modo petere subsidium et obnixie obedire Deo famulantibus, quorum jugi solamine possit dissolvere suorum nefandas congeries peccaminum. Igitur hec animo revolvens ego Drogo, superni regis nutu comes, pro mee anime salvatione necnon et mei patris atque matris simul et mei avi Walterii, navigerum aditum atque transversum Pontigeris et Medancie perpetualiter concedo et trado sancto Petro in Gemetico, ad utilitatem fratrum inibi degentium jugibusque orationibus insistentium, ut sine ulla tributaria solucione precii habeant tranquillam et quietam libertatem eundi et redeundi atque deferendi que sunt sibi necessaria. Constat hec facta donatio tempore Roberti, regis Francorum, Ricardo comite viriliter regnum gubernante Normannorum. Denique si quis veneno invidie tumens huic donationi contrarius esse presumpserit atque aliquam molestiam inferre temptaverit, perpetue damnationi deditus damnandus existat in extremo examine venturi judicis.

Ego Philippus +, rex Francorum gratia Dei, confirmo hanc cartam pro animabus patris et matris mee coram fidelibus meis Herveo, filio Godefridi Divitis, et ipse Godefridus adfuit, et Ansfridis puella, Humbertus Roserte et Eduinus Infans, Vuarnerus prepositus, Albericus clericus, Walterus Mainard, Robertus Menart, Hugo Grunoille de sancto Martino.

+ Ego Wermondus, + ego Vubertus, + ego Vubertus, + ego Gutbertus, + ego Rothebertus hujus donationis testes sumus. + Signum Drogonis comitis. Signum Vualterii comitis, filii Drogonis. + Signum Vuarini Baronis. Signum Milonis orfani. Signum Vuarinboldi prepositi.